Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31265
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

dysi lignumque scientie boni et mali. Lectio tertia.
Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigan-
dum paradisum qui inde dividitur in quatuor capita.
Nomen uni physon. ipse est qui circuit omnem evilath. ubi
nascitur aurum et aurum illius terre optimum est. Ibique in-
venitur bdellium et lapis onichynus. Nomen fluvii secundi
geon. ipse est qui circuit omnem terram ethyopie. Nomen vero tercii flu-
vii tygris. ipse vadit contra assyrios. Fluvius autem quartus ipse est eufra-
Fecit dominus deus Feria iiii. lectio prima tes
adam et uxori sue tunicas pelliceas. et induit eos et
ait. Ecce adam factus est quasi unus ex nobis sciens bonum et
malum. Nunc ergo ne forte mittat manum et sumat e-
tiam de ligno vite et comedat et vivat in eternum. Emisit
eum dominus deus de paradyso voluptatis ut operaretur terram de qua
sumptus est. lectio secunda. Eiecitque adam ~~[illegible]~~ et collo-
cavit ante paradysum voluptatis cherubin et flammeum gla-
dium atque versatilem ad custodiendam viam ligni vite. Adam
cognovit evam uxorem suam que concepit et peperit chaym
dicens. Possedi hominem per deum. Rursumque peperit fratrem
eius abel. lectio tertia. Fuit autem abel pastor ovium
et chayn agricola. Factum est autem post multos dies ut offer-
ret chayn de fructibus terre munera domino. abel quoque obtulit de
primogenitis gregis sui et de adipibus eorum. Feria v. lectio prima.
Respexit dominus ad abel et ad munera eius. ad chain vero
et ad munera eius non respexit. Iratusque est chayn
vehementer et concidit vultus eius. Dixitque dominus ad chayn. Qua-
re iratus es et concidit facies tua. Nonne si bene egeris recipi-
es. Sin autem male statim in foribus peccatum aderit. Sed sub te erit
appetitus eius et tu dominaberis illius. lectio secunda.